



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Praeceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio
Leodii, 1709**

Religiosissimis Patribus Abbatii, Priori, Cæterissq. Monachis sanctissimi
Monasterii Aureæ Valiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)



RELIGIOSISSIMIS PATRIBUS
ABBATI, PRIORI, CÆTERISQ. MONACHIS

sanctissimi Monasterii Aureæ Vallis.



D Vos suâpte velut naturâ, non tam currit, quam volat hæc Theologia, RELIGIOSISSIMI PATRES: quippe quæ usque adèd vestra est, ut eam Vobis planè auferrem, si non offerrem. Quod enim ad Authorem attinet, mea est; quod ad inscriptionem verò, Sanctorum. Quorum verò honori ac meritis dicanda Sanctorum Moralia, nisi eorum, qui & Sanctorum Moralia profitentur, & Sanctorum vitam æmulantur? An non Regula, quam profitemini, Theologia Moralis Sanctorum est? Nonne & Sanctorum vita, vita vestra? Altissima est Professio vestra, cœlos transit; par Angelis est, angelicæ similis puritati. Non enim solùm æmulamini omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem. Longè est à Vobis circa communia præcepta languere, & hoc solum attendere, quid præcipiat Deus; imò attenditis quid à Vobis velit, probantes quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Aliorum est Deo servire; Vestrum adhærere. Aliorum est Deum credere, amare, reveri; Vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui. Magnum est hoc, arduum hoc & sublime. Neque enim communis est vita Christianorum, sed Angelorum. Siquidem angelica est vita vestra: quia ut angelica, sic & vestra conversatio non est in terris, sed in cœlis. Magna quidem profitemini; sed Vobis magna Dei amore profitentibus, & in fide ac spe gratiæ ejus majora aggredientibus, non solùm desiderium & voluntatem ingredit Deus, sed & idem ipse, qui voluntatis gratiam prærogat, subrogat etiam virtutem ad proventum. Sic vita vestra manifestum facit, quam reprehensibilis sit vita delicatula, nedum sæcularium, vix nisi sæcularia sapientium, sed & multorum Religiosorum, quamque immeritò ipsi, sicut & Scriptores, nescientes quid loquuntur, impracticabilem assertant Theologiam Moralem Sanctorum. Excusationem quidem ipsi prætendent ex virium deficientia, quam jam supra humanam imbecillitatem sit vita verè christiana & evangelica, qualis fuit vita primorum Christi fidelium. Verùm ipsorum mollitiem & imbecillitatem ex nimio sui amore, charitatisque languore provenire, ostendit vita vestra, dum quasi digito demonstrat, amanti nihil esse difficile. Sileant ergo moliores Casuistæ, qui in tenebris de luce judicantes, nimis imbecillitatis defectu id propè omne emolliunt & eunuchizant, quod virile ac robustum est in arcu præceptorum Dei, saluberrimorumque documentorum Evangelii. Utinam saperent & intellegent, quod sapit & intelligit lumenosa charitas vestra! Accedite ad Auream Vallem quicumque morum præcepta traditis, ibi videbitis, quantâ facilitate, quanto spiritu fervore, quantâ abundantia pacis illud adimpleatur, quod Regius Psaltes ait: *propter verba labiorum tuorum ego custodi vias duras.*

In recordatione Aureæ Vallis totus exulto, dum ibi suspicio primitias sancti Spiritus, & pignus gratiæ, cum spe perennaturæ ibi vitæ sanctioris. Nam & ipsummet nomen *Aureæ Vallis*, bonæ spei præfert omen, quod utique ibi, prout de Monte Dei Psalmista canit, ibi (inquam) jugiter habitatura sit generatio *innocens*, & mundo corde, generatio quæ non accepit in vano animam suam, generatio *querentium Dominum, querentium faciem ejus semper*. Vallis pinguis, Vallis coagulata, Vallis in qua beneplacitum est inhabitare Dominum Deum in ea. Quid mirum, cùm Aurea Vallis, teste Oraculo Pontificio, sit *Paradisus Domini, & pœnitentia recessus?* In quo religiosissimè servatur

DE D I C A T O R I A.

lex Monastica paupertatis , nihil habetur peculiare , nihil proprium , nihil nisi communne : Commune verò quam simplex , quam modestum , quam ab omni fastu alienum ! Ibi videre est in Patrem Abbatem reverentiam , amoris ac fiduciae plenissimam , Monachorum inter se plenam concordiam , nullum cum exteris commercium , nullum cum ipsiusmet Confratribus colloquium . Altum in tota domo silentium , vita quædam aequabilitas , semper seria , semper constans , frequens labor , continua oratio , dulces lachrymæ , lectiones piaæ , non curioſa , vietus aper ac tenuis (Vobis quippe olius cibaria sunt , & legumina) somnus parcus , ad veteris Ecclesiæ morem protracta jejunia , fides integra , ſpes firma , charitas semper ardens , effusa in pauperes liberalitas , beneficia in peregrinos hospitalitas : Quam diligens ad publicas preces diu noctuque concurſus ! Quanta orandi perseverantia ! Quanta orantium (quam Deo grata vis infertur) unanimitas ! Ceteromiarum quam pius , at simplex & sine pompa religiosus apparatus ! Cantus ejusmodi , ut voces angelicas audire quis putet , lenis , distinctus , ſonoros , ad pietatem compotitus , qui & devotionem instillet , & lachrymas eliciat .

Ilic Augusta Dei Majestas , Christique præſentia ſentitur , Mysteriorum oblatio plena fidei , plena facri timoris , O ſacram Vallem ! O religiosum domicilium . O cineres Sanctorum , Bentzeradtiorum , Lantremengorum , &c. ibi sepultos ! O quanta Vobis confratio , RELIGIOSISSIMI PATRES , quod Magni iſtius Bentzeradtii , sanctioris vita Monasterii vestri Restitutoris , quotquot eſtis , Filii eſtis ! Et ſicut Filii , ita & hæredes ſpiritus & sanctitatis ipſius . Satagit ergo ut quo pede ſub sanctissima ipſius direccione cecepitſis , eo ſemper eatis , & ad solidioris virtutis apicem ardentiore studio jugiter aspirantes , Domino ſerviatis in sanctitate & iuſtitia coram ipſo , omnibus diebus vestris . Ita veo & ſpero ,

RELIGIOSISSIMARUM PATERNITATUM VESTRARUM

Humillimus & devotissimus in Christo ſervus
Fr. HENRICUS a S. IGNATIO , Ordinis Carmelitarum

IN-